



EUROPA LATINA

COLLOQUI / COLLOQUI

quod tu in docendo potes...

4

martedì 30 settembre e mercoledì 1 ottobre 2008

Abbazia di Maguzzano (BS)

ITINERA

Q.Horatii Flacci Sermones, I, V.....pag. 2

Lucii Apuleii Madaurensis Methamorphoseon libri.....pag. 5

Petronii Arbitri Satiricon libri.....pag. 6

Ludvig Holberg Nicolai Klimii iter subterraneum.....pag. 7

Caput IX: Iter Klimii circa planetam Nazarpag. 7

Caput XI: Navigatio in Terras Paradoxas.....pag. 9

Caput XIV:Klimius Monarcha Subterraneus.....pag.11



Q.Horatii Flacci
SERMONES
liber I,5

Egressum magna me accepit Aricia Roma
hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus: inde Forum Appi,
differtum nautis cauponibus atque malignis.

5

hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
indico bellum, cenantis haud animo aequo
exspectans comites: iam nox inducere terris

10

umbras et caelo diffundere signa parabat:
tum pueri nautis, pueris convicia nautae
ingerere: «huc adpelle»; «trecentos inseris»; «ohe
iam satis est.» dum aes exigitur, dum mula ligatur,
tota abit hora. mali culices ranaeque palustres

15

avertunt somnos, absentem cantat amicam
multa prolutus vappa nauta atque viator
certatim; tandem fessus dormire viator
incipit ac missae pastum retinacula mulae
nauta piger saxo religat stertitque supinus.

20

iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
sentimus; donec cerebrosus prosilit unus
ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
fuste dolat: quarta vix demum exponimur hora,
ora manusque tua lavimus, Feronia, lympa.

25

milia tum pransi tria repimus atque subimus
inpositum saxis late candentibus Anxur.



huc venturus erat Maecenas optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
legati, aversos soliti componere amicos.

30

hic oculis ego nigra meis collyria lippus
inlinere; interea Maecenas advenit atque
Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem
factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter

35

linquimus, insani ridentes praemia scribae,
praetextam et latum clavum prunaeque vatillum.
in Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
postera lux oritur multo gratissima: namque

40

Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque
occurrunt, animae qualis neque candidiores
terra tulit neque quis me sit devinctior alter:
o qui complexus et gaudia quanta fuerunt.
nil ego contulerim iucundo sanus amico.

45

proxima Campano ponti quae villula, tectum
praebuit et parochi quae debent, ligna salemque.
hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque;
namque pila lippis inimicum et ludere crudis.

50

hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
quae super est Caudi cauponas. nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri
Musa velim memores et quo patre natus uterque
contulerit litis. Messi clarum genus Osci;

55

Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti
ad pugnam venere. prior Sarmentus «equi te
esse feri similem dico». ridemus, et ipse
Messius «accipio», caput et movet. «o tua cornu
ni foret exsecto frons», inquit, «quid faceres, cum



60

sic mutilus minitaris?» at illi foeda cicatrix
saetosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat:
nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.

65

multa Cicirrus ad haec: donasset iamne catenam
ex voto Laribus, quaerebat; scribe quod esset,
nilo deterius dominae ius esse; rogabat
denique, cur umquam fugisset, cui satis una
farris libra foret, gracili sic tamque pusillo.

70

prorsus iucunde cenam producimus illam.
tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
paene macros arsit dum turdos versat in igni:
nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum;

75

convivas avidos cenam servosque timentis
tum rapere atque omnis restringere velle videres.
incipit ex illo montis Apulia notos
ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici

80

villa recepisset lacrimoso non sine fumo,
udos cum foliis ramos urente camino.
hic ego mendacem stultissimus usque puellam
ad mediam noctem exspecto; somnus tamen aufert
intentum veneri; tum inmundo somnia visu

85

nocturnam vestem maculant ventremque supinum.
quattuor hinc rapimur viginti et milia raedis,
mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
signis perfacile est: venit vilissima rerum
hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultra

90

callidus ut soleat umeris portare viator.
nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna:



qui locus a forti Diomede est conditus olim.
flentibus hinc Varius discedit maestus amicis.
inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum

95

carpentes iter et factum corruptius imbri.
postera tempestas melior, via peior ad usque
Bari moenia piscosi; dein Gnatia Lymphis
iratis exstructa dedit risusque iocosque,
dum flamma sine tura liquescere limine sacro

100

persuadere cupit. credat Iudaeus Apella,
non ego: namque deos didici securum agere aevum,
nec, siquid miri faciat natura, deos id
tristis ex alto caeli demittere tecto.
Brundisium longae finis chartaeque viaeque est.



Lucii Apuleii Madaurensis METHAMORPHOSEON LIBRI liber V

[I] Psyche teneris et herbosis locis in ipso toro roscidi graminis suaue recubans, tanta mentis perturbatione sedata, dulce conquieuit. Iamque sufficienti recreata somno placido resurgit animo. Videt lucum proceris et uastis arboribus consitum, uidet fontem uitreo latice perlucidum; medio luci meditullio prope fontis adlapsedum domus regia est aedificata non humanis manibus sed diuinis artibus. Iam scies ab introitu primo dei cuiuspiam luculentum et amoenum uidere te diuersorium. Nam summa laquearia citro et ebore curiose cauata subeunt aureae columnae, parietes omnes argenteo caelamine conteguntur bestiis et id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium. Mirus prorsum [magnae artis] homo immo semideus uel certe deus, qui magnae artis suptilitate tantum efferauit argentum. Enimuero pauimenta ipsa lapide pretioso caesim deminuto in uaria picturae genera discriminantur: uehementer iterum ac saepius beatos illos qui super gemmas et monilia calcant! Iam ceterae partes longe lateque dispositae domus sine pretio pretiosae totique parietes solidati massis aureis splendore proprio coruscant, ut diem suum sibi domus faciat licet sole nolente: sic cubicula sic porticus sic ipsae ualuae fulgurant. Nec setius opes ceterae maiestati domus respondent, ut equidem illud recte uideatur ad conuersionem humanam magno Ioui fabricatum caeleste palatium.

[II] Inuitata Psyche talium locorum oblectatione propius accessit et paulo fidentior intra limen sese facit, mox prolectante studio pulcherrimae uisionis rimatur singula et altrinsecus aedium horrea sublimi fabrica perfecta magnisque congesta gazis conspicit. Nec est quicquam quod ibi non est. Sed praeter ceteram tantarum diuitiarum admirationem hoc erat praecipue mirificum, quod nullo uinculo nullo claustro nullo custode totius orbis thesaurus ille muniebatur. Haec ei summa cum uoluptate uisenti offert sese uox quaedam corporis sui nuda et: “Quid,” inquit “domina, tantis obstupescis opibus? Tua sunt haec omnia. Prohinc cubiculo te refer et lectulo lassitudinem refoue et ex arbitrio lauacrum pete. Nos, quarum uoces accipis, tuae famulae sedulo tibi praeministrabimus nec corporis curatae tibi regales epulae morabuntur.”

[III] Sensit Psyche diuinae prouidentiae beatitudinem, monitusque uocis informis audiens et prius somno et mox lauacro fatigationem sui diluit, uisoque statim proximo semitotundo suggestu, propter instrumentum cenatorium rata refectui suo commodum libens accumbit. Et ilico uini nectarei eduliumque uariorum fercula copiosa nullo seruiente sed tantum spiritu quodam impulsa subministrantur. Nec quemquam tamen illa uidere poterat, sed uerba tantum audiebat excidentia et solas uoces famulas habebat. Post opimas dapes quidam introcessit et cantauit inuisus et alius citharam pulsauit, quae uidebatur nec ipsa. Tunc modulatae multitudinis conserta uox aures eius affertur, ut, quamuis hominum nemo pareret, chorus tamen esse pateret.



Petronii Arbitri SATIRICON LIBRI

[CXIV] Dum haec taliaque iactamus, inhorruit mare, nubesque undique adductae obruere tenebris diem. Discurrunt nautae ad officia trepidantes, velaque tempestati subducunt. Sed nec certos fluctus ventus impulerat, nec quo destinaret cursum gubernator sciebat. Siciliam modo ventus dabat, saepissime Italici litoris aquilo possessor convertibat huc illuc obnoxiam ratem, et quod omnibus procellis periculosius erat, tam spissae repente tenebrae lucem suppresserant, ut ne proram quidem totam gubernator videret. Itaque pernicies postquam manifesta convaluit, Lichas trepidans ad me supinas porrigit manus et: "Tu, inquit, Encolpi, succurre periclitantibus, et vestem illam divinam sistrumque redde navigio. Per fidem, miserere, quemadmodum quidem soles".

Et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit atque hausit. Tryphaenam autem prope iam <immersam> fidelissimi rapuerunt servi, scaphaeque impositam cum maxima sarcinarum parte abduxere certissimae morti.

Applicitus cum clamore flevi et: "Hoc, inquam, a diis meruimus, ut nos sola morte coniungerent? Sed non crudelis fortuna concedit. Ecce iam ratem fluctus evertet, ecce iam amplexus amantium iratum dividet mare. Igitur, si vere Encolpion dilexisti, da oscula, dum licet, <et> ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape". Haec ut ego dixi, Giton vestem deposuit, meaque tunica contextus exeruit ad osculum caput. Et ne sic cohaerentes malignior fluctus distraheret, utrumque zona circumvenienti praecinxit et: "Si nihil aliud, certe diutius, inquit, iunctos nos mare feret, vel si voluerit misericors ad idem litus expellere, aut praeteriens aliquis tralaticia humanitate lapidabit, aut quod ultimum est iratis tiam fluctibus, imprudens harena componet". Patior ego vinculum extremum, et veluti lecto funebri aptatus expecto mortem iam non molestam. Peragit interim tempestas mandata fatorum, omnesque reliquias navis expugnat. Non arbor erat relictā, non gubernacula, non funis aut remus, sed quasi rudis atque infecta materies ibat cum fluctibus. <. . .>

Procurrere piscatores parvulis expediti navigiis ad praedam rapiendam. Deinde ut aliquos viderunt, qui suas opes defenderent, mutaverunt crudelitatem in auxilium. <. . .>

[CXVI] Hoc peracto libenter officio destinatum carpinus iter, ac momento temporis in montem sudantes conscendimus, ex quo haud procul impositum arce sublimi oppidum cernimus. Nec quid esset sciebamur errantes, donec a vilico quodam Crotona esse cognovimus, urbem antiquissimam et aliquando Italiae primam. Cum deinde diligentius exploraremus qui homines inhabitarent nobile solum, quodve genus negotiationis praecipue probarent post attritas bellis frequentibus opes: "O mi, inquit, hospites, si negotiatores estis, mutate propositum aliudque vitae praesidium quaerite. Sin autem urbanioris notae homines sustinetis semper mentiri, recta ad lucrum curritis. In hac enim urbe non litterarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas sanctique mores laudibus ad fructum perveniunt, sed quoscunque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos. Nam aut captantur aut captant. In hac urbe nemo liberos tollit, quia quisquis suos heredes habet, non ad cenas, non ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat. Qui vero nec uxores unquam duxerunt nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt, id est soli militares, soli fortissimi atque etiam innocentes habentur. Adibitis, inquit, oppidum tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud est nisi cadavera quae lacerantur, aut corvi qui lacerant." <. . .>



[CXVII] Prudentior Eumolpus convertit ad novitatem rei mentem genusque divitationis sibi non displicere confessus est. Iocari ego senem poetica levitate credebam, cum ille: "Vtinam quidem, <inquit>, sufficeret largior scena, id est vestis humanior, instrumentum lautius, quod praeberet mendacio fidem: non mehercules operam istam differrem, sed continuo vos ad magnas opes ducerem". Atquin promitto, quicquid exigeret, dummodo placeret vestis, rapinae comes, et quicquid Lycurgi villa grassantibus praeberisset: "nam nummos in praesentem usum deum matrem pro fide sua reddituram.

- Quid ergo, inquit Eumolpus, cessamus mimum componere? Facite ergo me dominum, si negotatio placet." Nemo ausus est artem damnare nihil auferentem. Itaque ut duraret inter omnes tutum mendacium, in verba Eumolpi sacramentum iuravimus: uri, vinciri, verberari ferroque necari, et quicquid aliud Eumolpus iussisset. Tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus.

Post peractum sacramentum serviliter ficti dominum consalutamus, elatumque ab Eumolpo filium pariter condiscimus, iuvenem ingentis eloquentiae et spei, ideoque de civitate sua miserrimum senem exisse, ne aut clientes sodalesque filii sui aut sepulcrum quotidie causam lacrimarum cerneret. Accessisse huic tristitiae proximum naufragium, quo amplius vices sestertium amiserit; nec illum iactura moveri, sed destitutum ministerio non agnoscere dignitatem suam. Praeterea habere in Africa trecenties sestertium fundis nominibusque depositum; nam familiam quidem tam magnam per agros Numidiae esse sparsam, ut possit vel Carthaginem capere. Secundum hanc formulam imperamus Eumolpo, ut plurimum tussiat, ut sit modo solutioris stomachi cibosque omnes palam damnet; loquatur aurum et argentum fundosque mendaces et perpetuam terrarum sterilitatem; sedeat praeterea quotidie ad rationes tabulasque testamenti omnibus <idibus> renovet. Et ne quid scaenae deesset, quotiescunque aliquem nostrum vocare temptasset, alium pro alio vocaret, ut facile appareret dominum etiam eorum meminisse, qui praesentes non essent.

His ita ordinatis, "quod bene feliciterque eveniret " precati deos viam ingredimur.



Ludvig Holberg NICOLAI KLIMII ITER SUBTERRANEUM

Caput IX: Iter Klimii circa Planetam Nazar

[§ 29] In regione dicta Cocklecu consuetudo obtinebat non minus perversa, et ab Europaeis maxime damnanda. Inversus hic ordo non naturae, sed solis legibus originem debuit. Incolae terrae omnes iuniperi sunt utriusque sexus: at soli viri ad culinaria et ignobiles labores damnantur. Tempore belli militiae quidem nomina dant, sed supra sortem militum gregariorum raro ascendunt, cum pauci admodum sint, qui vexilliferi fiunt; estque munus vexilliferi summa dignitas militaris, ad quam arbor masculina aspirare queat. Mulieribus contra maximi ponderis negotia, qua civilia, qua sacra, et militaria committuntur.

[§ 30] Nuper deriseram Potuanos, quod in distributione officiorum nullum sexus discrimen admitterent. At haec gens furere mihi visa est, et naturae penitus adversari. Capere sane non poteram indolentiam virorum, qui, cum corporis viribus longe sint praestantiores, indignum adeo iugum sibi imponi passi fuerint, ac tot saecula ignominiam hanc concoxerint. Nam facile esset, iugum excutere, modo vellent, aut auderent nervos muliebri huic tyrannidi incidere. At, inveterata consuetudo usque excaecaverat animos, ut nemini in mentem veniret, pro tollenda ista ignominia aleam subire, quin crederent, naturam ita ordinasse, ut imperium penes mulieres esset, virorum vero esset texere, molere, pensum facere, aedes verrere, vapulare. Argumenta vero, quibus hunc usum tueri solent mulieres, haec sunt: cum sexum virilem corporis viribus, et lacertis, ad duros perferendos labores aptioribus natura donaverit, credi potest, solum masculinum genus ad ignobiles ac ferreos labores relegasse.

[§ 31] Stupebant extranei, cum domos introeuntes matremfamilias viderent in museo, cum stilo ac pugillaribus sedentem, maritum vero culinae inerrantem et ollas patinasque tergentem. Et sane in quamcunque domum venerim, cum patrefamilias locuturus, mittor ad culinam, ubi *Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter; Vox dominae fremit instantis virgamque tenentis.*

[§ 32] Inversae huius consuetudinis funestos notabam effectus: Nam quemadmodum in aliis terris petulantes ac salaces dantur mulieres, quae pro mercede corpora prostituunt, ac pudicitiam in propatulo habent, hic adolescentuli ac viri noctes vendunt, eumque in finem lupanaria conducunt, quorum portae titulis ac signis meretriciis dignoscuntur. Iidem cum nimis audacter ac palam quaestus hos improbos agunt, in carceres abducti, flagris in comitiis, non secus ac meretrices nostrae, caeduntur.

[§ 33] Contra matronae ac virgines, hic absque ulla reprehensione incedentes per vias, viros contemplantur, nutant, nictant, sibilant, vellicant, vocant, molestae sunt, fores elogiorum carbonibus implent, veneres suas impune iactant, ac tanquam totidem tropaeis superbiunt, quemadmodum petulantes apud nos iuvenes iactanter enumerare solent, quot virginum aut matronarum pudicitiam expugnarint. Porro matronis ac virginibus vitio non vertitur, si carmina amatoria et munuscula offerant adolescentulis: hi vero frigus ac modestiam simulant, cum contra decorum sit, ut adolescens petitioni et desiderio virgunculae statim annuat.



[§ 34] Ingens eodem tempore erat motus ob filium senatoris, cuius pudicitiam violaverat virgo. Male ob istud facinus passim audivit puella, et audiebam, inter se mussitare amicos iuvenis, in ius mox vocandam virginem, et a proximo Consistorio ad nuptias ac reparationem honoris damnandam esse, in primis cum legitimis testimoniis evinci posset, inculpatae adhuc vitae fuisse iuvenem, quem ad amores illicitos pellexerat virgo.

[§ 35] Tunc ego mecum tacitus: O terque quaterque beatam Europam nostram! Maxime vero Galliam et Magnam Britanniam, ubi sexus sequior nomini respondet, ubi mulieres caece adeo virorum imperio ac voluntati obsequuntur, ut machinae potius aut automata quam substantiae libero arbitrio praeditae videantur.

[§ 36] Non ausus sum, dum inter iuniperos hos versabar, perversam hanc consuetudinem palam damnare. At egressus urbe praecipua, nonnullis indicavi, contra naturam hic agi, cum e iure universali et suffragiis omnium gentium constet, ad ardua et momentosa negotia formatum esse sexum virilem. Regerebant hi: confundere me consuetudinem et institutionem cum natura, cum infirmitates istae, quae in sexu muliebri notantur, e sola educatione deriventur, id quod maxime patet e reipublicae huius statu ac forma, ubi in sexu muliebri enitescere videmus virtutes animique dotes, quas mares alibi sibi solis vindicant. Nam mulieres Cocklecuanae modestae sunt, graves, prudentes, constantes ac taciturnae; contra viri leves, praecoces et loquaces. Hinc cum quid absurdi narratur, proverbium istud: viriles esse nugas; et cum quid praecipitanter aut praemature actum est, dicunt incolae: Dandum esse veniam impotentiae virili.

[§ 37] At, his argumentis acquiescere non potui, statum hunc perversum, deformem ac naturae plane adversantem iudicans. Indignatio ista, quam fastus hic muliebris animo impresserat, causa erat infelicis, quod paulo post reditum meum cepi, consilii, quodque tot mihi molestias peperit, ut suo loco dicendum erit.

[§ 38] Inter splendidissima huius urbis aedificia erat gynaecium regium trecentis, qua viris qua adolescentibus speciosissimae formae instructum. Hi omnes alebantur sumptibus reginae, cuius deliciis inserviebant. Cum audirem, formam corporis mei a nonnullis extolli, veritus, ne in gynaecium istud a venatoribus abriperer, iter maturavi, et ... *pedibus metus addidit alas*.

Caput XI: Navigatio in Terras Paradoxas

[§ 1] *Antequam ad descriptionem huius navigationis progredior, censores tetricos, ac rigidos moneo, ne frontem nimis contrahant ad narrationem rerum, quae naturae adversari, ac proinde omnem fidem excedere videbuntur. Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.* Refero incredibilia, sed vera, et quorum ipse oculatus testis sum. Rudes ac indocti, qui extra limina patriae pedem non protulerunt, cuncta iudicant fabulosa, quibus ab infantia non assueverunt. Docti vero, maxime rerum Physicarum gnari, qui experientia didicerunt, quam ferax varietatum sit natura, aequiora de rebus, quae narrantur, insolitis, ferunt iudicia.

[§ 2] *Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis In Meroë crasso maiorem infante mamillam? Coerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem, et madido torquentem cornua cirro? Nempe, quod hoc illis natura est omnibus una. Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram Pygmaeus parvis currit bellator in armis; Mox impar hosti, raptusque per aëra curvis Unguibus a saeva fertur grue. Si videas hoc Gentibus in nostris, risu quatiare:*



sed illic, Quamquam eadem assidue spectentur proelia, ridet Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.

[§ 3] Inventi sunt olim in Scythia homines, unum oculum in medio frontis habentes, dicti Arimaspi. Alii sub eadem coeli plaga vestigia pedum habentes retro porrecta. In Albania nati fuere homines, qui in pueritia canescebant. Sauromatae tertiis semper diebus cibum capiebant, medio abstinentes. In Africa celebrantur certae familiae hominum, voce, ac lingua effascinantium. Fuere in Illyriis, qui interimebant videndo, quos diutius irati aspiciebant, quique pupulas in singulis oculis binas habebant. In montibus Indiae reperti sunt homines caninis capitibus, et latrantibus, alique, oculos in humeris habentes. In extremis Indiae detecti sunt quidam, corporibus hirtis, et avium ritu plumantibus, nullo cibatu vescentes, sed spiritu florum, naribus hausto, victitantes.

[§ 4] Quis haec et similia credidisset, nisi Plinius,* autor gravissimus, non audisse neque legisse, sed vidisse se omnia, sancte testatus fuisset? Ecquis denique credidisset, terram esse concavam, ac in visceribus eiusdem contineri solem, et planetas, nisi experientia mea mysterium istud fuisset detectum? Quis credidisset, terram dari, ab arboribus ambulanti ac ratione praeditis inhabitatam, nisi eadem experientia omnem dubitationem excussisset? Nemini tamen ob incredulitatem dicam scribam; nam fateor, eundem mihi ipsi, ante susceptum hoc iter, fuisse scrupulum: splendidae esse fabulas et meras credebam nugas, quae a nautis narrabantur.

[§ 5] Initio mensis Radir *Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor*, prospero aliquot dies vento usi; quocirca ferias egimus remiges, cum plenis euntibus velis, remigio non esset opus. Quarto vero die *Vela cadunt, remis insurgunt, haud mora, nautae, Adnixi torquent spumas, et coerula verrunt*. Laborem hunc valde mihi esset molestum cum animadverteret nauclerus, vacationem mihi per intervalla concessit, et tandem a servili hoc ministerio me penitus liberavit. Cur istam exercuerit humanitatem, an, quia insontem me credebat, an vero, quod ob insigne peruccarum inventum meliori me sorte dignum iudicabat, dicere nequeo. Ipse tres peruccas secum duxerat, quas mihi crispandas, et comendas tradidit, adeo, ut subito e remige in crinium concinnatorem transformarer. Ista naucleri in me humanitate effectum est, ut, quoties portum quendam intravimus, in eorum semper numero essem, qui exscensionem in terram fecerunt. Quo facto, data mihi fuit occasio curiositati meae abunde satisfaciendi.

[§ 6] Sulcantibus mare, diu nihil memorabile obvium fuit; at, postquam conspectum litoris amisimus, *Emersere feri cano de gurgite vultus*. Sirenes erant, quae, quoties venti posuerant, et subsederant undae, rati adnatabant, eleemosynam petentes: *Prima hominis facies, et pulcro corpore virgo Pube tenus, postrema immani corpore Pristis*. Lingua earum Martinianae erat confinis, adeo, ut nautarum nonnulli, absque interprete, cum iisdem fabulari potuerint. Una earum, cum offam carnis petenti dedissem, attentius me aspiciens, exclamabat: *Heros evades, cunctis dominaberis oris!* At, ad omen istud, tanquam ad vanam adulationem, subridebam, quamvis sancte testarentur nautae, in praedictionibus raro falli Sirenes.

[§ 7] Post iter octidui tandem conspicati sumus terram, quam nautae Picardianam vocabant. Intrantes portum circumvolabat pica, quam telonii inspectorem generalem asseverabant, et virum quidem gravissimum. Vix ego risum continui, cum audirem picam tanto munere fungentem, cumque viderem, aerarii ministrum ... *per liquidum sublimibus aëra pennis Currere, et aethereo corpus librare volatu.*



Caput XIV: Klimius Monarcha Subterraneus

[§ 26] Sperabam quidem, brevi me ac nullo negotio Martinianos, quorum perspecta mihi erat mollities, subacturum. Nam prona semper gens in voluptatem, non ingeniorum modo vitiis, sed et affluenti omnium rerum copia, illecebris omnis amoenitatis, maritimae terrestisque, longaque felicitate et indulgentia fortunae luxuriabatur. At, experientia didici, rem esse magnae molis: nam respectu commerciorum, quae longe lateque in orbe subterraneo exercebant, immensas cumulaverunt opes, quibus auxilia bellicosissimarum gentium ad nutum parata habebant. [§ 27] Huc adde, quod peritia rei navalis nulli genti subterraneae Martiniani tunc cederent, navesque nostrae prae hostilibus inconditae essent, et tardius se moverent. Nam facile est coniecere, quanti essent momenti machinae istae navales, a Philosophiae Baccalaureo tumultuario opere formatae, quales iudicium subirent, si examini Batavorum, Anglorum aut Danorum fuissent expositae. At defectum hunc abunde supplebant tormenta, Martinianis adhuc incognita.

[§ 28] Antequam hostile quid tentarem, legatos ad Senatum misi, iisdem fere pacis conditionibus, quas Imperatori Mezendorico nuper obtuleram. At, dum responsum exspectamus, plenis in nos velis ferri conspicamur classem instructissimam et talem, qualem nobis fingere non potuimus. Hinc classe, quantum in ista festinatione fieri potuit, ordinata, pugnae navalis signum damus. Certatum diu utrinque fuit pari ardore et constantia. Martiniani pro tormentis machinas habebant, immensi ponderis lapides eiectantes, quibus haud leve damnum navibus nostris inferebatur. Aderant porro rates incendiariae, pice, bitumine, sulphure, aliisque ignis fomitibus onustae, a quibus maxima nostra navis incensa fuit ac deleta.

[§ 29] Hinc dubius diu mars, inter pugnae fugaeque consilium trepidantibus nostris. At, horrenda tormentorum nostrorum fulmina animos Martinianorum tandem fregerunt, adeo ut, omissa pugna, in portum refugerent. Nullam tamen hostilem navem cepimus, cum velocitate nostris longe praestantiores brevi conspectum effugerint.

[§ 30] Hac pugna pugnata, terrestres copias in litora exponimus, passibusque rapidis ad metropolin Martiniam tendimus. In hoc itinere obvios habuimus legatos nostros, fastose a senatu exceptos ac his verbis remissos: *Maturate fugam, Regique haec dicite vestro; Non illi imperium pelagi saevumque tridentem, Nobis sorte datum: tenet ille immania saxa* Nam imperium maris sibi vindicantes Martiniani, postulata ista montani principis superciliose exceperant. Ingenti tamen cura copias conscribunt; nam praeter milites mercede conductos omne nomen Martinianum, omnis militaris aetas excitur.

[§ 31] Vix aliquot stadia emensi eramus, cum numerosissimum exercitum, e diversis gentibus compositum, recta in nos ferri cernimus. Hostium ista confidentia, etiam postquam improspere mari pugnaverant, non exiguam nobis solitudinem iniecit. Sed copiae hae meteora tantum erant, quae apparent ac evanescent simul; nam ... *ante tubam tremor occupat artus*. Et mox, ad primam tormentorum explosionem, effuse fugiunt Martiniani. Nos fugientium tergis inhaerentes, ingentem eorum stragem edimus. Quanta hostium tunc caedes facta fuerit, patuit e copia peruccarum, quas post pugnam colligimus: nam numero earum, quas cepimus, inito, quinque fere millia Martinianorum caesa fuisse coniecimus. Formas earundem post abitum meum mutaverant: nam ultra viginti diversas peruccarum figuras notavi, quippe ingeniosissima gens commenta in infinitum propellet.



[§ 32] Post prosperum istud praelium vel potius stragem, metropolin Martiniam, nemine impediēte, obsedimus. At, paratis oppugnationi necessariis, ac tormentis dispositis, in castra nostra supplices veniunt ipsi Senatores, urbem cum tota Republica dedentes. Hinc pace mox facta, triumphantium more urbem splendidissimam ingredimur. Cum intravimus portas, non quidem fuit tumultus ille nec pavor, qualis captarum esse urbium solet, sed silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, ut prae metu obliti, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantes alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, tanquam ultimum illas visuri, pervagarentur.

[§ 33] At parsum est deditae urbi: quo facto, tristitia in gaudium versa est. Aerarium Reipublicae intrans, stupebam ad visum immensi thesauri: huius magnam partem inter milites distribui; quod reliquum erat, aerario meo inferri iubeo. Praesidio Martiniae imposito, obsides aliquot e numero senatorum in classem nostram abducti sunt. Inter hos erat Syndicus una cum uxore, quae crimen istud, ob quod damnatus eram, mihi affinxerat. Contumeliam tamen hanc non vindicabam, indecorum existimans tanto Monarchae, iniuriam baiuli vindicta persequi.